



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1688

Tent. I. Circa bonorum & malorum hominum confusionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

§. I.

Tentatio I. Circa bonorum & malorum hominum confusionem.

I. **S**apientius civis, cum & se, & alios concives tam graviter à malis hominibus vexari, opprimique adverteret, vehementer tentatur circa DEI tot homines malos inter bonos tolerantis bonitatem, & propemodum ad DEUM de injusta & improvida mundi gubernatione arguendum incitatur. Quæritur, quid consilii ad hanc tentationem superandam ei suggerendum?

Responsio.

II. Inprimis illud S. Augustini in Pl. 54. ei proponat: *Contristatus sum, inquit, in exercitatione mea, & conturbatus sum. Ubi contristatus? ubi conturbatus? in exercitatione mea, inquit, homines malos, quos patitur, commemoratus est, eandemque passionem malorum hominum exercitationem suam dixit. Ne putetis, gratis esse malos in hoc mundo, & nihil de illis boni agere DEVM. Omnis malus aut ideo vivit, ut corrigatur: aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur.*

III. Secundò aliam illi rationem ab eodem Sancto Patre c. 8. de dono persever. propositam proponat: *Hominibus videtur, inquit, omnes, qui boni apparent, fideles perseverantiam usque ad finem accipere debuisse. Deus autem melius esse iudicavit, misere quosdam non perseveraturos certo numero Sanctorum suorum, ut, quibus non expedit in hujus vite*

tentatione securitas, non possint esse securi; multos enim à pernicioſa elatione reprimat, quod ait Apoſtolus: Quapropter qui videtur stare, videat, ne cadat.

IV. Tertio illi ſimilitudines à Christo de Zizania bono ſemini commixtis; item de ſagena miſſa in mare, & ex omni genere piſcium congreganti proponat; ex his enim facile colliget, non fruſtra Deum permittere, ut reprobi & mali cum bonis & electis conjungantur, nimirum ut ſuo tempore & ipſorum Electorum innocentia coram toto mundo magis eluceſcat, & ipſius etiam DEI Juſtitia, miſericordiaque magis, clariuſque pateſcat.

V. Quarto eidem exemplum Hortulanorum obiciat; an non enim hi ſpinas in hortis ſuis tolerant, ut pulcherrimæ, ſaluberrimæque roſæ inter eas naſcantur; quid ergo mirum, ſi & DEUS peritiſſimus Hortulanus in horto Eccleſiæ ſuæ ſpinas & tribulas perverſorum hominum verſari permittat, ut purpureæ Martyrum Roſæ, & candentia Virginum lilia inde tanto copioſius enaſcantur.

§. II.

Tentatio II. Circa varietatem afflictionum.

VI. **L**Ydwinæ honeſta Matrona, graviffimis tamen morbis & pauperie preſſa fatetur Confefſario ſuo, ſe graviffimè nonnunquam tentari, dum aliis, licèt vitam peſſimam ducentibus, omnia propterè & ad votum fluere, ſe verò ſuique ſimiles DEO ſincerè ſervire cupientes variis calamitatibus opprimuntur, tantumque non obrui advertit. Quæritur, quomodo hæc ei tentatio ſit eripienda?